



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Scientia Salvit̃s, Sive Considerationes Piæ, Præcipuam  
Spiritualis Vitæ Materiam complectens**

**Laberhittel, Samuel**

**Ingolstadii, 1660**

110. Feria 6. Causa Deicidij ex parte Pilatu[m] duodecim.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59837](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59837)

186 FERIA 6. DOM. PASSIONIS.

mittis, &c. qui clamor vim fecit Pilato, ut sedens pro tribunali nonâ vice frustra innocentem liberare vellet. Itaque videns Pilatus, quia nihil proficeret, sed magis tumultus fieret, lavit manus coram populo dicens: Innocens ego sum à sanguine iusti huius, ipsis acclamantibus: Sanguis ejus super nos. Manus lavit, sed cor suum lavare non potuit. D. Amb. Ser. II. in Ps. 118.

MEDITATIO CX.

FERIA 6. DOM. PASSIONIS.

Causa Deicidij ex parte Pilati duodecima.

**A**spiciam omnium, quod sub sole fieri potest, iniquissimorum judicium iniquissimum, quasi verò Filius Dei esset deterior latrone, & adeò nequam, ut neque pro pietate, neque pro festi prærogativa deberet liberari, inquit D. Chrylost. Petam agnoscere tanti sceleris causas.

*Conf. 1.* Propositum dilemma Pilato totâ æternitate insolubile: Si enim falsum crimen objectum fuit, cur Christum non absolvit? si verum: cur novies innocentem pronuntians damnavit? si voluit satisfacere populo, cur non potius conscientia? si timuit perdere amicitiam Cæsaris, cur non potius timuit incurrere in offensam DEI, agendo contra conscientiam suam?

*Conf. 2.* Causas tam sceleratæ voluntatis. Si

Si verum illud est. D. Ambr. L. 1. Offic. c. 39.

*Affectus tuus nomen imponit operi tuo, in promptu causæ sunt duodecim.*

1. Interrogasse, & in dubium vocasse, quæ Christi sunt.

2. Declinasse invidiam iudicij, non resistendo iniurijs.

3. Timuisse.

4. Arbitrio plebis causam reliquisse.

5. Contulisse tenebras luci.

6. Voluisse emendare innocentiam.

7. Voluisse emere gratiam, & voluntatem populi, sicut antè amicitiam Herodis.

8. Egisse contra conscientiam.

9. Flagelasse tam crudeliter innocentem.

10. Laborasse ignavia imprudenti, & aedia malo.

11. Affectasse ignorantiam.

12. Prætulisse commodum propriû malo ipsius Dei. Detestabor has causas necis Christi.

*Conf. 3. Quomodo maluissent amici Christi in Passione ejus mori, & potiùs inferni tormenta pati, quàm ut Christus sic moreretur. Revel. S. Brigit. l. 1. 11. & lib. 6. c. 11.*

*Animæ Sanctorum in Limbo maluissent pati infernum, quàm ut Dominus eorum tanta pateretur. Quare si concilio divino interfuissem, coactus fuisset renuntiare omni vi-*

*tæ meæ potiùs, quàm ut Dominus meus sic*

*emori*

emori iuberetur. Quid enim? tunc ut moriaris, ô J E S U mi, ut ego vivam? avertat me Deus ab hoc consensu: non est amor proprius tam cæcus, quin rei indignitatem videat: quia licet vitæ suæ sit quisque amantissimus, & salutis propriæ omnia postponat, naturæ instinctu: tamen optare mortem Dei, ut ego vivam, tam hoc est insolens, ut vel ideo mortem æternam mererer: nisi igitur impius esse volo, mortem tuam desiderare non possum, Deus meus. Quod si charitas tua transcendit omne desiderium meum, saltem mea adæquet exemplum tuum, ut amore amoris tui moriar, sicut tu amore mei es mortuus.

## MEDITATIO CXI.

*Sabbato Dom. Passionis.*

*B. Virgo amaram mare septemgeminis dolorum ostiis influentibus tumidum, & tempestuosum.*

**A**vdiam D. Susonem pluribus explicantem dolores B. Matris. Quando, inquit, luna est plena, tunc maximæ plerumq; tempestates exurgunt in mari: pendente in cruce Domino, & dicente: *Consummatum est*, fuerunt omnia impleta, adeoque maximæ dolorum tempestates sunt ortæ in Maria: tunc enim & mensurâ dolorum Christi, & mensurâ compassionis *Mariae* fuit adimpleta,